



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXIX. Ablassbrief der Cardinäle für den Dom Brandenburg, am 13. April 1295.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CXVIII. Der Erzbischof Erich in Magdeburg schlichtet einen Streit zwischen dem Domcapitel und den Bauern in Dehne, Göhlsdorf und Mellensdorf wegen des Dreißigsten, am 25. Febr. 1295.

Nos Ericus, dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, presentibus recognoscimus, publice protestantes, quod causa, que vertebatur inter capitulum Brandenburgensis ecclesie ex una et rusticos villarum Oyne, Golistorp et Mollendorp, sitarum sub territorio Juterbuensi, parte ex altera super tricesima, quam iidem rustici tempore messis anno preterito presentare contra iustitiam recusarunt coram nobis Magdeburgi et presente domino Henrico de Alsleve, milite, et consentiente, determinata in hunc modum extitit et sopita, ita videlicet, ut rustici sepe dicti pro tricesima anni preteriti inducta solvent Brandenburgensi capitulo octo marcas, quas domini Brandenburgenses ex integro, omni impedimento posthabito, se recepisse legitimis documentis protestantur. Ceteris vero singulis annis subsequenter tricesimam frugum de villis prelibatis predicti domini Brandenburgenses congregabunt, prout mos est ecclesiarum circum adjacentium aliarum, et ducent ad civitatem Juterbuensem vel alias, ubicunque sibi viderint expedire, et rustici predicti hoc nullo modo impedient, sed potius promovebunt. Ne igitur super huiusmodi aliqua litis questio in posterum ab aliquibus attemptetur, presentem literam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari presentibus hiis testibus videlicet domino Ottone dicto de Brizna, canonico nostro, domino Henrico preposito Brandenburgensi, magistro Johanne, dicto Brunfwig, capellano nostro et canonico sancti Nicolai in novo foro Magdeburgensi, magistro Henrico, canonico sancti Sebastiani ibidem, magistro Salomone, canonico Lubucensis ecclesie et plebano in Teltow, domino Henrico de Alsleve milite, et aliis quam pluribus clericis et laicis fide dignis. Actum et datum Magdeburg in capella nostra anno domini M^o. CC^o. XCV^o. feria sexta post dominicam, qua cantatur Invocavit, hoc est V^o. Kal. Martii.

Nach der Copie im alten Copiaro.

CXIX. Ablassbrief der Cardinäle für den Dom Brandenburg, am 13. April 1295.

— Rogerius sancte Severini, Petrus Arborensis, dei gratia archiepiscopi, Bonifacius Parentinus, Aymardus Lucerie, Andreas palatinus, Leonardus Alatrinus, Ciprianus Bonensis, frater Baubertus de Monte Viridi, Franciscus Fanensis, Manfredus de sancto Marco, Sabba Militensis, Stephanus Opidenis, Jacobus Creventinus, Perronius, frater Robertus Casinensis, frater Manfus Ameliensis, Wilhelmus Callensis, frater Franciscus Teratimensis, Emanuel Tremonenis, eadem gratia episcopi salutem in domino sempiternam. Quoniam quidem de salute fidelium solliciti devotioni ipsorum quasi quibusdam allecitiis muneribus indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus ad debiti famulatus honorem deo et sacris edibus impendendum, ut quanto crebrius et devotius illuc confluit populus christianus, tanto celerius delictorum suorum veniam consequatur, cupientes igitur, ut cathedralis ecclesia Brandenburgensis, que in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli est fundata, congruis honoribus et jugi Christi fidelium frequentatione veneretur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam in festis subscriptis, videlicet nativitatis, resurrectionis, ascensionis domini nostri Ihesu Christi atque pentecostes, in quatuor festivitibus gloriose virginis Marie, sancti Michaelis archangeli, sancti Johannis baptiste, beatorum Petri et Pauli aliorumque omnium

apostolorum, beatorum martirum Livini, Lini, Anthonii, Georgii, beatorum pontificum Augustini, Martini, Nicolai, beatorum virginum Katerine, Margarete, Agnetis et in festo omnium sanctorum et in festivitatibus sancte crucis, videlicet in inventione et exaltatione et in anniversariis dedicationis ipsius ecclesie et altarium existentium in eadem, et per octo dies predicta festa immediate sequentes et in diebus rogationum et in die palmarum et per octo dies proxime sequentes causa devotionis acceperint, aut qui prelibate ecclesie pro sua fabrica vel structura, libris, luminaribus, ornamentis vel pro aliis suis necessariis manus porrexerint adjuvantes seu in extremis laborantes quicquam suarum legaverint facultatum, aut qui presbiterum ejusdem ecclesie cum sacra communione aut unctione infirmos visitantem cum reverentia devote fecuti fuerint, aut qui cimiterium ipsius ecclesie circumeuntes oraverint pro defunctis, aut qui ibidem in ecclesia elegerint sepulturam, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate consili singuli singulas dierum quadragenas cum karena de injunctis sibi penitentiis, dummodo consensus dyocesani ad id acceperit, in domino misericorditer relaxamus. In cujus rei testimonium presens scriptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Rome, idus Aprilis anno domini M^o. CC^o. LXXXX^o. quinto, pontificatus domini Bonifacii pape octavi, anno primo.

Nach dem Originale, woran noch vierzehn Siegel von Cardinälen hängen. Eine Erneuerung dieses Ablassbriefes durch Paps Bonifaj VIII. selbst aus dem Jahre 1296 ist zwar ebenfalls noch vorhanden, aber unleserlich geworden.

CXX. Das Generalscapitel des Prämonstratenser-Ordens verfügt, daß alle drei Jahre eine allgemeine Zusammenkunft der Prämonstratenser-Pröpsle gehalten werden soll, am 6. Juni 1295.

— Nicolaus, dei gratia prepositus sancte Marie Magdeburgensis, ordinis sancti Augustini, et prelatorum ordinis ejusdem capitulum generale — generosa plantatio Premonstratensis ordinis, a qua velut a stipite nostre religionis ramus erigitur, cujus conversatio laudabilis honestatis flores et fructus profert, nos excitat et inducit, ut honorem ipsius favore benivolo prosequentes salutifera ipsi capituli monita ac ordinis nostri commoda, quantum cum deo possumus et secundum virium nostrarum valentiam studeamus efficaciter adimplere; igitur convocatione de nobis facta super publicatione prerogativarum et privilegiorum, a predicto Premonstratensi capitulo nostro ordini indultorum ac super aliis tractatibus utilibus nobis in unum convenientibus in anniversario clare felicisque recordationis domini Norberti, quondam Magdeburgensis archiepiscopi, institutoris nostri ordinis, et in ecclesia sancte Marie Magdeburgensis, de qua secundum fundationem ordinis primitivam nostre derivative descenderunt ecclesie: videlicet domino preposito ecclesie jam dicte ordinisque patre, nec non de Brandeburch, de Havelberch, Ratzeburch, cathedralium, de Gratia dei, de Lezeka, de Jericho, de Kolbeké, de Quidilingheburch, de Mildenvorde, de Poledhe, de Grammezowe, de Themeniz, de Staden, de Hilburgerode et de Brode, ecclesiarum ordinis sancti Augustini prepositis, publicatis indultis supradictis, utilitate communi pensata, decrevimus infra scripta concorditer et unanimiter statuenda. Primo quidem statuimus, quod nos prelati dictam Magdeburgensem ecclesiam inter nos cum devote subjectionis reverentia principaliter pro matre reputabimus et capite, cujus membra nostras ecclesias fore recognoscimus ac ad essentiam ordinis velut a capite processisse. Item statuimus, quod nos prelati omnes et singuli de triennio in triennium in anniversario domini